



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Sexagesimum primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A Notatio ad Caput Sexagesimum primum.

Manuscripti in plurali loquuntur: *Cum munitiones Friderici destruerentur*; Insuper dicunt inæchanicum hunc fuisse operarium urnarum Godefridum nomine, cuius domus sita erat in pede montis Isenberg.

Caput Sexagesimum secundum.

De pauperculo à variis infirmitatibus liberato.

BPAUPERCVLVVS quidam in Westphalia septem annis non vno confictatus est morbo. Alterum eius latus emortuum erat, manus aruerat, lateris costæ confractæ erant, crus ad eò intumuerit, vt crassitudine ventrem æquaret. Duobus fultus scipionibus venit ad locum, vbi impij trucidarunt Episcopum ENGELBERTVM: preces supplices obtulit, & celeriter impetrauit quod voluit.

Multis affectus morbis, f. sanus.

Notatio ad Caput Sexagesimum secundum.

CManuscripti ita recensent: *Circa partes Vnna de piscina villa eiusdem Parochia morabatur Pauperculus quidam & cætera*, Vnnavv. prout in editione habetur Suriana. Vnna verò est oppidum Comitatus Marcani Lippiam ac Ruram inter, ad Aam fluvium ob singularis cereuisiæ cocturam famosum.

Caput Sexagesimum tertium.

De surdo curato.

DRESCEBANT eo in loco miracula, & permulti quotidie accedebant & recedebant, alij salutem expeturi, alij se eam adeptos gratulantes. Inter alios venit surdus quidam, qui decem annis nihil audierat: audit. sed videns hominum tum aduentantium, tum abeuntium frequentiam, animaduertit curationes fieri. Veniens ergò ad locum, vbi martyr occubuit, sanitatem adeptus est. Qui propius illi adstabant, audierunt rumpi pelliculas aurium, quibus meatus obstructi erant. Indè verò tantus consecutus est dolor, vt caput ytraque manu comprimendo,

cum